

Anno
M.

3227.

Ezechias pessimi Patris optimus filius repurgandæ religioni primas Regni curas impendit. *Templum* à Patre clausum aperuit. *Cultum* divinum priscae integritati restituit: *Pascha* magna solennitate celebravit, aliisque pietatis opera præstitit. Hinc charus Deo ab hoste potentissimo *Senacheribo* per Angelum, & à morbo lethali miraculo servatus est.

3256.

Manasses optimi Patris pessimus filius reduxit *cultum Baalis*: *idolum* in Templo Domini collocavit: *stellas* adoravit: *Magos* & *Pythones* consuluit: *auguria* sectatus est: innoxio *piorum sanguine* Jerosolymam inundavit: quibus sceleribus cum modum aut finem nullum poneret, captus dolo, & *Babylonem* abductus in vinculis resipuit, tandemque in regnum rediit.

3311.

Ammon degener, domesticorum conspiratione periit, cum biennium regnasset.

3313.

Josias piissimus Rex, insigni zelo reformavit Judam & Israëlem, & *fædus* cum Deo renovavit ritu solenni, postquam *liber legis* inventus esset in parietinis. Movit bellum non necessarium contra *Pharaonem Neco* transitum petentem per ipsius fines: in quo sagittâ ictus interiit, gravi piorum cum dolore.

3344.

Joabasus, qui & *Sallum*, cum tres menses regnasset, Regno abdicatur à *Pharaone Neco*, & in *Ægyptum* abducitur.

3344.

Joakimus vel *Jebojakim* idololatra & tyrannus, in Prophetas Domini sæviit, prophetias